

## De Macrobian Codice Montepessulano

Codicem Macrobian Montepessulanum accuratius examinandum esse jamdiu consentiunt vv. dd., ut Cl. Wessner in Pauly-Wissowa, Realenz. s. v. Macrobian 172, 53 — „Um so wichtiger wäre es, wenn diese anscheinend älteste Handschrift der Saturnalia genauer geprüft wäre“. Cui opinioni inseruiens, dum Macrobian praecipuos codices trutinò, nihil antiquius ducebam, quam invenire, si forte possem, inter hunc et notissimum illum Bambergensem ab Eysenhardtio collatum quae ratio intercederet. Et quid inde didicerim, quam potero paucissimis expediam.

Codex Montepessulanus n. 225, saeculo nono scriptus, continet Macrobian Saturnaliorum lib. I, 12, 21 usque ad finem libri III, ubi subscriptio haec reperitur: — MACROBIAN THEODOSIAN CONVIVIORUM SEQUENDE EXPLICIT. Inde sequitur (56a) non initium quarti libri, sed nesciocujus Christiani scriptoris fragmentum satis putidum. Liber hic manu clara et nitida ita exaratus est, ut singulae paginae singulas columnas, columnae habeant lineas vicenas ternas. Folia sunt 56, quorum Macrobian 55 tenet: de mensura eorum mihi non constat. Lectiones cum Bambergensis lectionibus mire congruunt; quod exemplis docebo. (In eis, quae sequuntur, ad Eysenhardtii primam editionem locorum notas accommodavi; nam alteri quid adjecerit, praeter sphalmata operarum complura, non invenio.)

64, 18 et om. B'M      68, 3 et om. B'M      70, 23 quidam om. B'M  
78, 22—24 kalendarem — deae om. B'M, habet B<sup>m</sup>      82, 15 si om. BM  
100, 17—18 luminum — progressionem om. BM      108, 20 est om. BM  
130, 14 vulnera om. BM      Haec omnia: quae sequuntur, perperam lecta.

65, 13 vocant BM      65, 25 consultu BM      82, 4 nefesti BM      83, 7  
notati ex non tanti BM      88, 9 edytis BM      96, 12 deanthes BM      96, 16  
ΑΠΟΤΟΛΑΕ BM      103, 12 per octo B'M      103, 20 matris BM  
152, 30 effectata B'M      155, 23 denegare B'M      168, 16 post tridie BM  
Praeterea tituli et subscriptiones in B et M ad verbum concordant.

Subit statim in mentem quaerere primum, an sit B ex M descriptus, deinde, an sit M ex B. At illud verum non esse clamant Graeca longiora in M fere omnia, quae B exhibet, ut 90, 11—12, 15—16; 101, 14—17; 109, 1—15: nec hoc quisquam credet, cum Latina nonnulla, quae in M videre est, frustra quaeras in B, ut 79, 22 *dies*; 80, 12 *de*; verum praecipue 93, 1—2 *id est* — Ἀσφαλλωνα, quae M habet, B per homoeoteleuton omisit. Eo faciunt et plura, sed non hujus loci. Res palam est: B et M fratres germani sunt, quorum pater (si sic loqui licet) perisse videtur immiserabilis. Igitur ex Montepessulani collatione hoc proficui nanciscimur, quod Bambergensis aliquoties errores corrigere possumus, et in fine libri tertii, ubi B deficit, alterum nunc testem praeter Parisinum habemus. De codice quidem illo veteri, unde B et M descripti sunt, perpauca statui possunt. Vel ipsum vel archetypum ejus minusculis litteris scriptum fuisse inde claret, quod scriba nomen Cleanthes bis (95, 14; 96, 12) in Deanthes vel simile quiddam corrupit, aut saltem ita exaratum reliquit, ut alii fallerentur; quod in majusculis fieri nequit. Verum illud peritioribus relinquo: mihi satis erit, si ostendero, quem inter Macrobian codices locum teneat Montepessulanus.

London

J. A. Willis